

05 A 502

05

A

502





De  
**VULNERIBUS  
CHRISTI**

**SINGULARIA QUÆDAM,  
SUB PRÆSIDIO**

*VIRI Magnifici ac Summè Reverendi,*

**DN. CASP. LOESCHERI,**

**SS. Theol. Doctoris, Prof. Publ. Consist.**

Elect. Assess. Sen. Ecclesiæ Wittebergensis Pastor, & totius  
Circuli Electoralis Saxonici Superint. General. ut &  
Facult. Theol. Decani,

*Dn. Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui  
fidelis cultu prosequendi,*

d. April. A. M. DC. XCVII.

Ex

*Cathedrâ B. Lutheri*

edisser:

**M. JOH. ERNESTUS OTTO,**

Numburg. Misnicus.

---

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.

De.

VULLNERBUS

CHERTI

SINGULARIA QVEDAM

SUB PRAESIDIO

DIAGNOSTICA

22. Theol. D. Coult.



205 A 50

April A. M. D. C. X. C. I. I.

M. JOH. ERNESTI OTTO

T. H. C. H. A. M. I. N. G. E. R. I. U. M.



De *Vulneribus*  
*Jesu Christi, Salvatoris nostri,*  
 SINGULARIA.

I.

**D**Ulcissima, solatiique plenissima  
 Verba *Esaie* sunt, Cap. LIII, 5. *Per vulnera*  
*Ejus (MESSIÆ) sanati sumus.* Idem Pro-  
 pheta c. I, v. 5. 6. vulnera nostra, eorum-  
 que magnitudinem ἐμφατικῶς ἀπε-  
 ruerat: *Totum caput, inquit, confectum est*  
*eâdem egritudine, & totum cor languidum. A*  
*plantâ pedis usque ad caput non est in corpore*  
*integritas, sed vulnus, & tumor, ac plaga saniosa, neque exprimun-*  
*tur, neque alligantur.* Verbô: *Tot habebamus vulnera, ut in sanguine*  
*nostro volveremur.* Ezech. XVI, 6. Et ex parte nostra omnia de-  
 sperata erant, Psal. XLIX, 8. 9. *Neque in aliô nobis erat Salus, nisi*  
*in unico JESU.* Act. IV, 12. *Nostra vulnera non per alia, nisi*  
*Hujus sanari poterant.* Unde quæ vulnera c. l. *Esaie* deplo-  
 raverat, pro Eis c. LIII, 5. medelam manifestat, digitô quasi  
 demonstrans *vulnera Christi*, ceu *Johannes Baptista Agnum Dei*,  
 Joh. I, 29. qui propter nos vulneratus est, ut nos ab omni vul-  
 nere liberaremur.

II. Meditatus hæc piè atque sanctè *Augustinus* est. Inde in  
*Manuali*, cap. 22. (Tom. IX. opp. f. 801.) pulcherrima in verba e-  
 rumpens, clamavit: *Cùm me pulsât aliqua turpis cogitatio, recurro*  
*ad vulnera Christi. Cùm me premit caro mea, recordatione vulne-*  
*rum Christi Domini mei resurgo.* Ita *Augustinus*, cujus verba  
 adeò ceperunt *Hugonem de S. Victore*, ut eadem non solum, (Lib.  
 IV. c. X. de Animâ Tom. II. f. 133.) repeteret, sed & sanctâ devotio-  
 ne actus sequentia adderet: *Cùm Diabolus parat insidias mihi,*  
 A fugio

fugio ad viscera Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum filii Dei extinguatur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi. Notanda etiam cætera Augustini verba sunt, quæ locò laudato habet: In omnibus, inquit, meis adversitatibus non invenio tam efficax remedium, quam vulnera Salvatoris. In illis dormio securus, & requiesco placidus. Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio. Et porrò: Tota & firma requies est infirmis & peccatoribus in VULNERIBUS Salvatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per VULNERA. Quicquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei; quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt FORAMINA, per quæ affluant. Per FORAMINA corporis patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus nos Origo ex altò visitavit. VULNERA Jesu Christi plena sunt misericordiâ, plena sunt pietate, plena dulcedine & charitate. Foderunt manus ejus, & pedes ejus, & latus ejus lanceâ perforaverunt. Per has rimas licet mihi gustare, quàm suavis sit Dominus. Copiosa redemptio data est nobis in VULNERIBUS Jesu Christi, Salvatoris nostri. Sensit hæc non minus Bernhardus, cujus dulcissima verba repetimus: Ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies, (ita scribit Serm. LXI. super Cantic. f. 675.) nisi in VULNERIBUS Salvatoris? Tantò illic securior habito, quantò ille potentior est ad salvandum. Eremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam VULNERUM Domini recordabor. Si ergò in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nullâ jam possum morbi malignitate terreri. Similia, & ἐν ἐπιτομῇ repetit Serm. LXII. ad Cantic. f. 679. Quid tam efficax ad curanda conscientiae vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi VULNERVM sedula meditatio?

III. Plura his paria non afferemus. Quis enim campum hunc ingressus copiâ non obruetur? quæ tanta est, ut non succinctam Dissertationem, sed integrum, prolixumque Volumen de facili implere possit. Quare hæc in præsentibus sufficiant,  
cum

cum præcipuè ipsa Salvatoris VULNERA pie considerata & aliorum nos vocant, & eam nobis dicendorum copiam sup-  
peditant, quam præfens charta capere non potest. Unde co-  
gimur Specilegium duntaxat instituere, & quædam tantum  
*SINGULARIA* inde excerpere, cætera autem in aliud tempus  
seponere. Quando enim sancto hoc tempore *de Passione &*  
*Morte Jesu Christi* agendum in Ecclesia est, meorum quoque  
partium esse putavi, ne id negligerem, cum præcipuè Speci-  
men aliquod Academicum à me edendum esset. Unde nec  
à tempore, neque à studiis & officiis, quibus Christo obligor,  
alienum esse judicavi, si ex maximò numero, singularia quædam  
eligerem, eademque brevi Dissertatiunculæ includerem. Jacta  
igitur est alea. Faxit Jesus, ut feliciter.

IV. Sollicitus autem animus Christianus esse potest (I.) circa  
necessitatem VULNERUM Christi. Annon enim Christus,  
omnipotens Deus, aliò quòdam modò hominem redimere  
poterat? Certè *Socinus* Part. 2. de Servatore cap. 2. id asserere  
non veretur. Adde Part. III. cap. 4. & *Gittichium* contra Lu-  
cium f. 3. 4. Sed frustra hi sunt. Nam (1.) *Absque sanguinis ef-*  
*fusione nulla est remissio peccatorum.* Ebr. IX, 22. (2.) Requirit id  
*Testamenti & Testatoris* natura. Testamentum enim absque  
effusione sanguinis ratum esse non poterat. Ebr. IX, 15. 17. 18.  
19. Atque idem de Testatore l. c. requiritur. Cujus argu-  
menti tanta vis est, ut eam quoque *Crellius* agnoverit, & pu-  
blicè profiteri coactus fuerit. Ita enim in *Comment. ad Ebr.*  
*IX, 18. Tom. II. f. 160.* Eò, scribit, quod sub *Veteri Test. contigit,*  
*nempe, quod & ipsum Testamentum sanguine fuerit sancitum, & quod*  
*omnia ferè sanguine mundarentur, peccata saltim sine sanguinis fu-*  
*sione mundari non possent: ex hoc, inquam, per similitudinem (Apo-*  
*stolus) colligit, mortem sanguinisque fusionem novò quoque Testa-*  
*mentò intervenire debuisse, ut & ipsum Testamentum sanciretur, &*  
*crimina nostra emundarentur.* Et ibid. ad v. 22. f. 161. pergit: *Quasi*  
*dicat, (Apostolus,) hoc certum est, peccata sine sanguinis fusione sub*  
*lege non remitti: vel, et si tandem aliqua sine sanguine purgantur, pec-*  
*cata sine cò purgari nequeunt.* Unde meritò colligitur, debuisse quo-

que sanguinis fusionē intervenire ad emundandas nostras conscientias, seu ad expianda peccata conscientiam polluentia. Ex quibus (3.) sequitur, effusionē sanguinis propter mundationem à peccatis necessariam fuisse. *Sanguis enim Jesu Christi, filii Dei, emundat nos ab omni peccato* 1 Joh. I, 7. *Lavit namq; nos à peccatis nostris per sanguinem suum.* Apoc. I, 5. *Hi, qui venerunt ex afflictione magnâ, laverunt stolas suas ac dealbarunt in sanguine agni.* c. VII, 14. (4.) Sanguis autem ille ex vulneribus effundendus erat, quod patet ex *Esaia c. LIII, 5. 6. Ipse autem NB. vulneratus est propter iniquitates nostras &c. per vulnera ejus sanati sumus.* Adde (5.) insignia Scripturæ loca *Act. XX, 28. Act. III, 24. 25. c. V, 9. Ephes. I, 7. Col. I, 14. Ebr. IX, 12. 14. c. XII, 24. c. XIII, 12. 20. 1. Pet. I, 2. 19. c. II, 24. 1. Joh. V, 6. 8.* Probant autem hæc loca, non alium hic intelligi posse sanguinem, quàm eum, qui ex vulneribus stillavit, & ex partibus percussis profluxit. Unde etiam (6.) non alius in Sacra Coenâ bibendus sanguis est, quàm qui effusus fuit, *Matth. XXVI, 28.* Et ipse Christus (7.) *Psal. XXII, 7. conque- ritur: foderunt manus meas & pedes meos, quod sine vulnere fieri non poterat.*

V. Intellexerunt hoc vel ipsi Judæi, in cæteris nimium excoecati. Quemadmodum enim *Gen. III, 15.* per Serpentem antiquum Diabolum intelligunt, (ita enim hunc locum interpretati sunt *R. Saadias Gaon, Aben Esra, & Darschanim ap. Salomonem;*) ita in *Keli faker* f. 6. per morsum calcanei intelligitur ipsis Messia vulneratio & sanguinis ejus profusio. Confer *Targum Jonatban. Uzielidis & Hierosolymitanum.* Neque aliter *Esaia c. LIII, 5.* explicuerunt. Probat hoc vel solum illud exemplum admodum notabile, quod ex *Gemara Sanhedrin 36. Coccejus p. 359.* sequentem in modum reddidit, *Raf Gilel refert, dixisse Raf: futurum est, ut annis Christi perfruantur Israelita. Raf Joseph, liquidum id quidem est, sed quis percipiet illam beatitudinem? Homines quique percipient, præterquam Rabbi Hillel, qui ait, non est amplius Messias Israeli. Jam enim potiti sunt abunde eò tempore Ezechia: Raf: Non est condidus mundus, nisi in gratiam Davidis: At Samuel: in gratiam Moysi: R. Johannes ait; ob Messiam. Quod illi nomen? Familiares R. Sibe ajebant: Silob nomen ejus esse, (Gen. XLIX.)*

XLIX.)



XLIX.) q. d. usque dum veniat Silob. Familiares Jannai dicebant: Jinnon nomen ejus esse, (Psal. LXXII.) q. d. sit nomen ejus in sempiternum, cum sole Jinnon nomen ejus. Familiares R. Chanina, Chanina id esse dictitabant. (Jer. XVI, 15.) q. d. quod non daturus sum vobis Chanina. Sunt, qui dicant Menachem filii Hiskia nomen id esse, (Thren. I, 16.) q. d. Nam longe à me est Menachem, Consolator, qui reficiat animam meam. Magistri autem dicunt, nomen ejus esse, Leprosus de domo Rabbi, q. d. certè morbum nostrum ille in se recepit, & aegritudines nostras bajulavit, at nos reputavimus ipsum plagam affectum. Esa. LIII, 4. Qui plura cupit, evolvat Tom. IV. Disput. Giffens. ubi Helvicus Disp. IV. th. 43. adducit R. Mosen Hadarsanem, R. Josen, Midrasch Ruth, Tanchuma. Et Disp. sequenti V. th. 5. addit R. Judam. Videndus quoque hanc in rem est L'Empereur ad locum Esaia p. 52. ubi contra Abarbanellem, & Alschekum disputat. Seideli, Semi Judæi, corruptelas egregiè dissipavit Jacobus Martini Tom. III. de tribus Elohim cap. 103. seqq. quem vide.

VI. Si quæris, quâ ratione sanguis J. C. ex Ejus vulneribus effusus, nos mundet ab omni peccatò? cavendum tibi, ne respondeas, fieri illud analogicè, quemadmodum aqua naturalis corporis sordes abluere solet. Hæc enim Calvinianorum doctrina est, ut legere potes apud Bezam Vol. 3. in Quæst. & Respons. Qv. 92. p. 342 ut & Respons. 2. ad Acta Colloqvii Mompelgart. p. 42. seqq. Sobnium Tom. I. in Method. Theol. p. 246. Massonium P. IV. Anatom. p. 72. Piscatorem Vol. 2. loco 15. thes. II. 12. p. 315. aliosque. Latet enim hic angvis in herbâ. Quamquam enim verbò asserant, purgationem eam realiter fieri, facit tamen eorum Analogia, Alloecosis & Synecdoche, ut re ipsâ Sanguini Salvatoris eripiatur, quod solâ voce ipsi attributum fuit. Quamdiu enim Calviniani negant, humanæ Christi Naturæ verè & realiter communicata esse idiomata divina, tam diu quoque, juxta eorum hypotheses, sanguis Jesu Christi, ad Naturam Ejus humanam pertinens, non habet infinitam & omnipotentem vim & efficaciam nos peccatores à peccatis verè & realiter mundandi, quia est sanguis non divinæ, sed humanæ

Naturæ, quæ juxta Calvinianos vi divinâ & omnipotente destituitur. Unde patet, quò pacto intelligenda sint verba *Massonii* P. IV. Anatom. p 86. scribentis: *Sanguis Christi* mundat nos propriè à peccatis, ceu verum lytrum, quod pro nobis solutum est. Nimirum agnoscimus hic linguam Lutheranam, sed mentem prorsus Calvinianam ibi latitare non ignominus.

VII. Quando præterea Sanguis Christi ex Ejus sanctissimis vulneribus pro nobis effusus verè & realiter nos mundat à Peccatis, ut Num. IV. demonstratum est, seriò cogitent Pontificii, quâ ratione velint defendere horrendum nefas, quò ex Sacra Cænâ Laicis exhibenda eliminant sanctissimum illud pretiosissimumque salutis remedium, atque ita vulnera Christi non necessaria & inutilia reddunt. Digna notatu sunt, quæ de sacrilegiò hoc *Petrus Suavis* in Hist. Concil. Trid. lib. 5. p. 537. recitat: *Cum, inquit, in Confessu Cardinalium, Oratori Regis Gallia, Communionem sub utraque specie populo concedendam urgenti, Cardinalis S. Angeli responderet, se nunquam Pharmaci locò poculum NB. toxicò refertum, populo Gallico propinaturum, multoque tutius esse, sinceri eum expirare, quàm ut ad remedia NB. adeò exitiosa deveniatur.* Hæc Cardinalis iste. Cui verò rectissimè, quanquam non sufficienter, respondit Orator: *Præsules Gallia, restitutionem Calicis expetentes, bonis firmamentis & rationibus Theologici niti, quæ Confutationem adeo contumeliosam haut mereantur, prorsusque indignum sacri ordinis Proceribus, Sanguinem Christi NB. appellatione veneni violare, & sanctos Apostolos, omnesque Ecclesie primitivæ Patres, & multorum post Seculorum, qui mortuum insigni emolumento spiritali cunctis calicem illum sanguinis ministrarunt, habere pro veneficis.* Dignum profectò patellâ operculum!

VII. Sed nos pergimus (II.) ad Vulnerum Christi numerum. Hic multum variantes deprehendimus Auctorum Sententias. Quanquam enim & ab initio Ecclesie Novi Testamenti, & per aliquot seculorum cursus, de numerò eorum nihil determinatè dictum sit, ut ex lectione Scriptorum eorum temporum apparet, satisque Ecclesie Doctõribus fuerit visum, si in plu-  
rali

rali tantum, absque certò numerò expressò, de vulneribus Christi loquerentur, accidit tamen, ut, quemadmodum multis in rebus aliis, ita etiam in hac discrepantia phrasium & sententiarum orta sit, unde Ecclesiæ, quanquam non plus solatii, tamen plus negotii daretur. Alii enim (a) indeterminatam quidem pluralitatem retinuerunt, eam tamen simul nimium extenderunt, statuentes, *vulnera Christi esse innumera & infinita*. Hanc sententiam amplexi sunt *Pelargus* Medit. in pass. p. 100. & *Affelmannus* Part. 2. System. p. 72. Quæ sententia si absolute accipitur, quasi ea nec à Deo, neque à nobis numerari queant, tolerari non posset; si verò sumitur, aut in respectu ad Personam infinitam, ut & infinitam eorum virtutem & efficaciam, aut in relatione ad homines, quorum non est omnia omnino Christi vulnera, quovis modo Eidem illata, definite & certò numerare, absurda non est. Et videtur omnino huc respexisse *Affelmannus*, vulgari loquendi formula usus, per quam ingens aliqua multitudo, per voces *innumera & infinita*, indicari vulgariter solet.

VIII. Alii (b) numerum certum determinarunt, vulneraque in sanctissimo Salvatoris Corpore M. M. M. M. M. CCC. LXXV. se deprehendisse somniantes. Legi de hoc numerò poterit *M. Herold*, vulgò *Discipulus de tempore* appellatus, Serm. IX. Quodrag. Dom. Invocavit, fol. 17. col. 1. & in Parascev. Serm. XLV. & XLVI. fol. 136. 140. col. 2. Natus hic numerus est ex superstitione quâdã. Noverant enim Monachi populi Christiani devotos erga Christum, Ejusque vulnera, animos, quare ut hic abusu superstitiosa suâ Rosaria eidem sub Pietatis & Religionis schemate obtruderent, callidè docuerunt, veneranda esse vulnera Salvatoris, & peculiari devotione quotidie honoranda, ita ut unicuique eorum peculiare *Pater noster*, ita enim Barbarè loquuntur, singulis diebus offeratur, quod commodè fieri possit, si quotidie Rosarium *quindecies* absolvatur, ita enim quovis annò CCC LXXV. diebus complexò, cuius vulnere peculiarem honorem jurè exhiberi, cum CCC LXXV. per XV. multiplicata reddant numerum MMM M CCC LXXV.

LXXV. Qvi demum numerus verus fit vulnerum Christi numerus, passim sanctissimo Ejus illata corpori. Qvanquam verò negari non possit, plurima Salvatorem perpeffum esse vulnera, omni veritatis tamen specie caret, tot, nec plura, neque pauciora fuisse, quàm quæ à superstitiosis Monachis ficta potius, quàm numerata sunt. Unde omnes, qvi illum numerum pro certò habent, decipiuntur, Deoque adeò cultum minimè gratum præstant, rectius facturi, si ab eòdem se abstinerent. Et poterant illud vel ex hoc etiam simpliciores colligere, quod deceptores hi, qvo numero huic colorem aliquem addant, certum prius numerum fingant particularum in scuticâ, nec non nodorum in particulis, ut & certam spinarum spineam coronam conficientium, aliarumque rerum copiam, neque tamen aut majorem, aut minorem, quàm quem numerus semel ab iis positus permetteret. Qvis verò non videt, omnia hæc ab otiosis hominibus frivole conficta esse? Meritò igitur sententia hæc rejicienda est.

IX. Qvanquam nec (c) ea simpliciter amplectenda sit, quæ statuit *Septem Christi vulnera*. Tribuitur hoc *Petro Damiano*, qvi peculiarem de vulneribus Christi Sermonem habuit, in quò Septem ea vulnera sequenti serie deduxit. *Primum* accepit in Circumfione: *Secundum* in monte oliveti, ubi sudorem sanguineum sudavit: *Tertium*, quando coronâ spineâ caput ejus dehonestatum, & per nimiam ejus impressionem vulneratum fuit: *Quartum* flagellum & scutica fecit: *Quintum* Manibus: *Sextum* Pedibus: & denique *Septimum* lateri Ejus illatum est. Placuit hæc vulnerum Christi enumeratio etiam aliis, præcipuè *Jacobo de Voragine*, Episcopo Genuensi, ceu ex ejus Serm. 3. ad diem Parasceves clarum evadit. Et ut hic quoque numerus colore aliquò non careret, *Septem* excogitarunt vitia cardinalia, per vocem SALIGIA indicata, quorum medela appropriata, uti Medici loqvuntur, sint septem illa vulnera. *A Superbia* enim mederi vulnera Capitis ex corona spineâ ortum trahentia: *Avaritia* manuum vulnera: *Luxuria* vulnus in circumfione acceptum: *Invidia*, vulnera flagellationis:

tionis: *Gula*, sudorem sanguineum, *Ira*, vulnus lateris: & demum *Acedia* pedum vulnera. Excogitata hæc quidem non absque ingenio sunt. Sed quoniam vitia cardinalia per numerum hunc nimium coactantur, Meritumque Christi, quod unum & simplex est, temerariè dividitur, nec non superstitio quædam Papistica tacitè fovetur, rectius Evangelici ab hoc quoque numero abstinent.

X. Sunt (d) qui *decem* numerant, *Genera* eorum potius, quàm *Individa* recensentes. *Primum* ipsis est *vulnus Nativitatis*, cum absque sanguinis profluvio, saltem per umbilicum factò, homo nasci nequeat. *Secundum* Circumcisionis, quod & ipsum absque sanguine non est. *Tertium* putatur universi corporis, quando sanguineum sudorem passim edidit. *Quartum* dicitur captivitatis, ubi vincula crudeliter adstricta, manibusque fortiter impressa sine vulnere & sanguine vix, ac ne vix quidem abierunt. *Quintum* Coronationis est, in quâ spinæ sanctissimo Salvatoris Capiti impressæ non pauca vulnera prodixerunt. *Sextum* Vellicationis esse debet. Solet enim vellatio violentior vulnera capitis gignere. *Septimum* Percussionis appellatur, respiciturque ad Cap. LIII, 5. Esaiæ. *Octavum* Flagellationis esse potest. Nam & hanc propter adhibitum flagellandi modum, valde truculentum citra vulnera non potuisse fieri, facile creditur. *Nonum*, idque præcipuum Crucifixionis meritò dicitur, quippe in qua Salvator non manibus solum, sed & pedibus insignia accepit vulnera. Tandem *Decimum*, ceu omnium vulnerum corona & flos, nuncupatur *Laterale*, quod multas ob causas cæteris præferri solet. Quemadmodum verò *Denarius* hic nihil abducat ab orthodoxiâ, memoriæque gratiâ non absque fructu conservari potest; non tamen ceu consuetus & ab Ecclesia receptus proponi debet. Quoniam, ut paulò post dicemus, *Quinarius* ei numerus multum prævalet.

XI. Relictis ergo numeris hucusque enarratis consuevit Ecclesia *QUINQUE* præcipua numerare & recitare vulnera, quorum *duo* manibus, *duo* itidem pedibus, & *unum* Lateri

B

Salva-

Salvatoris in cruce pendentis, & pro genere humano patientis & morientis, inflictæ sunt. Et respexit Ecclesiâ (a) non ad universum Salvatoris Exinanitionis Statum; nec (b) ad omnes vitæ dies, quos in Statu Exinanitionis constitutus in hōc mundo peregit; sed (c) ad illud tantum tempus, quod Christo in Cruce consumendum erat, quodque ἀμὴν & clausulam passionis & Exinanitionis addebat. In Cruce vero Salvator noster quinque illa enormia & singularia vulnera pro nobis accepit, quæ si peculiariter numerantur & recensentur, non excludunt reliqua, quæ & ipse Salvator partim in circumcissione, partim in flagellatione, partim in coronatione, partim aliunde accepit; sed ea potius aut includunt, aut præsupponunt, aut simul connotant. Quot vero eorum numero definita & determinata fuerint, nemo hominum cognovit, aut cognoscere potuit; solusque Deus omniscius eundem numerum suæ omniscientiæ reservavit. Olim verò in vitâ æterna, uti plurima alia, ita quoque hæc rectiùs intellecturi sumus. 1. Cor. XIII, 12.

XII. Quantum verò ex Historiâ Ecclesiæ nobis innotescere potuit, primus, qui *Quinarium* hunc definitè & determinatè expressit, *BERNHARDUS* fuit. Patet hoc præcipuè ex duobus ejus Sermonibus, quorum alter est primus de Natal. Domini Cant. 2. Tom. I. opp. fol. 75. alter est Sermo de Passione ibid. fol. 199. Verba, ad quæ respicimus, sequentia sunt: *Fortassis etiam propter hos QUATUOR fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus, adhuc vivens in cruce, propter QUINTUM, cum jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere.* Ut & quæ sequuntur, in quibus ceu alter Josephi frater Deum allocutus his verbis est: *Cognosce Pater tunicam veri filii tui Josephi. Heu fera pessima devoravit eum, & conculcavit in furore suo vestimenta ejus, omnem decorem ejus reliquius cruoris inquinavit. Ecce NB. QVINQUE scissuras lamentabiles in eò reliquit.*

XIII. Atque hic numerus tantum in Ecclesiâ applausum consecutus est, ut non solum ab aliis quoque usurparetur, sed & quasi Scripturæ S. ex asse consentaneus sit, explicaretur, cumque

que

que variis Scripturæ locis, cum quadam devotione & pietate, compararetur. Certè *Rupertus*, Abbas Tuitiensis, & ex eodem *Alphonsus Tostatus*, celeberrimus Abulensis Episcopus, eundem numerum (1.) ex Exod. XXVI, 13. deducere & quasi consecrare voluerunt. *Quinque* ibi aulæa, conjuncta unum ad alterum recensentur, quæ faciebant tegmen, inter Sanctum & Sanctissimum in tabernaculo. Per hæc autem quinarium Christi vulnerum præfiguratum fuisse, voluerunt isti. Alii (2.) altare maluerunt, quod è lignis cedrorum, NB. *quinque cubitorum longitudine, & NB. quinque cubitorum latitudine* conficiendum erat. Exod. XXVII, 1. cap. XXXVIII, 1. seqq. Alii (3.) typum hujus *quinarium* voluerunt fuisse fores Templi Salomonei, in quibus postes *quinquangulares* deprehendebantur. 1. Reg. VI, 31. Rursum alii (4.) *Quinque lapides* ex rivò collectos, quibus David Goliathum occidebat, 1. Sam. XVII, 40. substituerunt. Alii alios typos excogitarunt, quod prolixius, si opus esset, deduceremus. Sed sufficit nunc id tantum observasse, Numerum hunc quinarium olim post Bernhardi tempora in Ecclesia valde consuetum fuisse.

XIV. Quæ etiam causa est, cur Lutherus cum suis eum non rejecerit, sed, quia nihil hic absurdi deprehenderetur, usurpaverit. Nati inde tot egregii hymni, ab Ecclesiâ nostrâ approbati & usurpati, in quibus numerus hic expressus est. E quibus eminent verba: *Hilff uns/ Herr Christ/ aus aller Noth/ durch deine heilig fünff Wunden roth.* Et magna horum seges est in hymnis Evangelicorum, cujus aliqualem copiam reperire est in *Concordantiis* Hymnorum nuper admodum editis, sub vocibus *Fünff & Wunden*. Taceo Phrases Concionatorum & SS. Theol. Professorum, quibus hic quoque numerus suo modò approbatur. Et notanda hic mihi imprimis est Pietas FRIDERICI III, gloriosissimi Danorum Regis, qui *Regium ordinem Elephantinum* sanciens, non immemor fuit *QUINQUE* Salvatoris vulnerum. Nam in perpetuum eorum memoriam *quinque* adamantes in latere Elephantis è caruleo cingulò propendentis, inque crucis formam dispositos,



tos, fieri fecit. Quod ex reverentiâ erga Serenissimum Principem Hæreditarium Leucopetræum, qvi in ordinem illum à Rege Potentissimô nuper receptus est, tacere non debui.

XV. Quemadmodum verò Orthodoxi Vulnera, de quibus diximus, in honorem & gloriam Salvatoris usurpant; ita è contrariô Pontificiorum turba eadem in gloriæ Ejus detrimentum impiè convertunt, dum eadem partim *Maria*, partim *Francisco* adscribunt. *Maria* eadem ab iis attribui, docet *Mariale*, Argentini 1493. excusum, quod lib. I. cap. V. ad verba *Esaia* c. LXIII, 3. Torcular calcavi solus, & de gentibus non est Vir mecum, glossam sequentem addit: *Verum est, Domine, quod non est Vir tecum, sed mulier una tecum est &c.* Quæ verba verè in Christi meritum blasphema non rejecta ab aliis, sed quasi *θεόπνευστα* & Canonica accepta, ad posteros propagata & defensa fuerunt. Ita enim Richardus de S. Laurentio in Libro de Laud. B. Mariæ lib. I. p. 48. fatur: *Ad ultimum fuit Dominus cum Maria & ipso Domino in eodem labore, & in eodem opere nostræ redemptionis. Mater misericordie Patrem misericordiarum adjuvit in opere nostræ salutis. Unde prædictum erat Gen. II, 18. de prima muliere. Non est bonum, hominem esse solum, faciamus ei adjutorium &c. Illa enim literalis Eva viro suo non fuit in adjutorium, sed in destructorium magis: hæc autem in adjutorium, quia in manum fœminæ tradidit Dominus Sifaram, i. e. Diabolum Jud. V. & una Mulier Ebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor. Judith. XIV. Quid ergo est, quod Dominus dicit, Esa. LXIII, 3. Torcular calcavi solus, & de gentibus non est Vir mecum? Verum est, Domine, quod non est Vir tecum, sed mulier una tecum est, quæ omnia NB. Vulnera, quæ Tu suscepisti in corpore, suscepit in corde, & sicut lancea militis perforavit latus tuum, Joh. XIX, ita gladius doloris ejus pertransivit animam. Luc. II. Et sicut tu, non quod voluisti, sed quod Pater tuus voluit, sustinuisti, Matth. XXV. sicut prædixeras Job. VI. ita ipsa non quod ipsa voluit, sed quod tu voluisti, sustinuit tecum. Quia sicut tu Salutem Generis humani in cruce sitivisti, sic & ipsa sitivit. Nec satis erat hæc semel & unô locô attulisse, sed adeò placebant, ut eadem Lib. II. p. 104. repetens denique diceret: Quod*



autem prædixerat Esaias c. LXIII. in Personâ Christi; torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum, sic intelligendum est, & NB. SECURE sic potest exponi: Verum est Domine, quod non est vir tecum, sed una mulier adstat tibi crucifixo, quæ quascunque plagas, quoscunque dolores, quacunque NB. VULNERA sentis, & suscipis in tuò corpore, compatiendo suscipit in visceribus cordis sui. Et sicut dira lancea perforat latus tuum, sic ejus animam pertrans-eunt dolorum tuorum gladii universi &c. Adeò δις ἕτρις τὸ καλὸν. Et ne quis hæc carpere tentaret, cavit Georgius Colvenerius Regius Ordinarius Professor, Præpositus, Cancellarius, & Censor Duacensis, scutum præfigens Richardi libro, eumque eruditum, variâ eruditione repletum, variis figuris & mysteriis ejusdem virginis decoratum, diversis virtutibus, privilegiis, & præcipientiis ejusdem exornatum, admirandamque pietatem spirare censuit. Plura de hac re, qui cupit, legat Sixtin. Amamam in Anti-Barbarô Biblicô Lib. IV. p. 704. sqq. Similia de Francisco, Jesu Typicô, deprehendes in Librô Conformitatum Francisci, nec non de Catharinâ Senensi, apud Bzovium ad Annum Christi 1270. de Luciâ, ibid. 1469. de Stephanâ Moniali, Johanne itidem Jezero, Lajola & aliis passim legi possunt, quæ digna non æstimamus, ut hic legantur.

XVI Pergendum enim nobis est ( III. ) ad *Vulnus laterale*, quod ut ultimum, ita & eximium est. Quæri hic (i.) potest, *utri lateri, dextrone, an sinistro vulnus illud illatum sit?* Scriptura circa quæstionem hanc nihil determinat, contenta indicasse Joh. XIX 34. τὴν πλευρὰν, seu latus fuisse, cui vulnus illud inflatum sit. Nec illi, qui Longino Epitaphium conscripserunt, ausi quicquam sunt determinare. Reperitur illud in fano S. Mariæ prope Lugdunum, de præsentis re sequentia dicens: *Qui Salvatoris latus in cruce cuspidè fixit, Longinus jacet hic.* Neque, qui negotium hoc ex genuinis fundamentis æstimarunt, certi quippiam statuere voluerunt. Quamquam enim Bernardus Serm. VII. in Psalm. XCI, latus dextrum elegerit, scribens: *Christe Jesu -- etiam dextrum sibi propter me latus passus est fodi: quòd videlicet non nisi dextera mihi propinare vellet: non nisi in dextera*  
parare

*parare locum refugii* &c. Quamquam etiam *Æbiops* loci Johannaï Interpres, nec non *Hieronymus Xavier* in *Historia Christi Persica* Part. 3. aliique, Bernharδο adhæreant: Unde & *Caspar Barlaus* cecinit:

*Dextra tibi perfossa riget: mea sola scelestæ est,  
Nec sentit pœnam noxia dextra tuam.*

Quamquam præterea sententiæ huic faveat communis Pictorum mos, lateri dextro vulnus appingentium, quorsum etiam nonnulli typos quasi traxerunt Lev. I, II. de agno ad latus aræ dextrum mactando, quod fecerunt Hesy chius & Procopius; nec non Ezech. XLVII, 1. 2. de aquâ ex dextrô templi latere fluente, quorsum Gregorius & Hieronymus respexisse videntur; enimvero tamen multi fuerunt reperti, latus sinistrum præferentes, moti non lubrico, sed falso plane fundamentò, cor in sinistro latere reperiri. Quæ sententia uti a naturâ ipsâ, ita quoque ab ejus Scrutatoribus, præcipuè Anatomicis, quod falsa sit, demonstratur. In hoc sententiarum divortio Apelles Wittebergensis, *Lucas Cranachius*, cum Jesum Crucifixum absque laterali vulnere pinxisset, interrogareturque, cur insigne illud vulnus omisit, acutè & dextrè respondit: *Sibi à nemine Theologorum ex Scripturâ locum illius demonstratum esse.* Alter Apelles Germanicus, *Albertus Durerus*, ornamentum Norimbergense ingens, eodem modo solitus est Christum Crucifixum pingere, ut non apparuerit, in quo latere vulnus ultimum locum habeat. Videantur ejus *Icones Sacrae* per G. L. F. editæ, Lit. H. 3. b. Dicis: quid ergo respondendum ad illam quæstionem est? Respondeo duobus verbis: **NONDUM LIQVET.** Neque tamen interea vulnus illud in discrimen trahitur. Sufficit enim, nos ex Scripturâ scire & credere, Salvatorem verè in latere sanctissimò vulneratum esse, etiamsi ignoremus, cui lateri illud inflictum sit.

XVII. Quæri hic potest (2.) *Superiori ne, ac inferiori lateris parti vulnus illud impressum sit?* Inferius voluit *Vincentius Ferrerius*, cujus tanta videbatur vitæ sanctitas Callisto III. ut eum in Sanctorum numerum recipere non sit veritus. Verùm malunt

lunt alii partem superiorem, quod etiam *Persa* Interpres Johannis voluisse videtur, textum ita reddens Joh. XIX, 34. *Sed unus ex Satellitibus hasta NB. sub Axillâ Jesu percussit.* Quin & (3.) quæri solet, *transieritne vulnus illud per utrumq; latus.* Prudentio id videtur creditum, dum in Carm. de Pass. Christi cecinit: *Trajectus per utrumq; latus, latice atq; cruore Christus agit, sanguis victoria, lympba lavacrum est.* Conf. eund. Hymn. 8. Peristophan. ut & hymno 8. Cathemirin. Placuit illud etiam Brigittæ in Relationib; nec non Cornelio à Lapide ad locum Johannis laudatum. Invenere tamē hi, qui id negarent, inter quos præcipuus est *Hieronymus Bardi*, Theologus *Insubrensis*, qui ex Sindone *Taurini* asservata, unum duntaxat latus vulneratum esse, satagit. Nos hanc pugnam Cadmæis his fratribus relinquentes, dicimus etiam hic: *Nobis non liquet.* Vide Dorſch. l. i. Theol. Zach. p. 124.

XIIX. Sed quæri hic porro potest (4.) *Quo instrumento vulnus illud laterale effectum sit?* Appellavit illud *Johannes* c. XIX, 34. *λόγχην*, quæ vox in universo N. Test. amplius non reperitur, in V. T. autem apud LXX. Interpretes 1. Reg. XVII, 1. Ezech. XXVI, 9. Jobi XVI, 13. Nehem. IV, 13. 16. 21. Ezech. XXXIX, 9. Nec non 2. Macc. V, 2. c. XV, 11. invenitur. Redditur hæc vox communiter per *Lanceam*. Unde hanc vocem quoque usurparunt, *Vulgatus*, ut & qui *Syrum*, *Arabem* & *Æthiopem* in linguam latinam transtulerunt. Solus, qui *Persam* vertit, *hastam* substituit.

XIX. Quæri etiam (5.) potest, an sanguis qui ex lateris vulnere profluxit, ad meritum Christi pertineat? Negare id visus est *Gabriel Vasquezius*, Jesuita. Nam Tom. 1. in 3. Partem Thomæ, Quæst. XIX. Disp. LXXVII. C. 1. quæstionem movet: *An Christus etiam post mortem suam aliquid nobis meruerit?* Non autem solum hanc quæstionem negat, sed & ad Christi vulnus laterale. C. 2. prolabitur, quippe quod ei obstare videbatur, & obstaculum hoc ita remove conatur: *Vulgaris Theologorum sententia asserit, ex Christi latere, lanceâ post mortem transfixo, Sacramenta Ecclesie manasse. Hac enim non habent efficaciam producendi gratiam, nisi ex meritis Christi, à quibus tanquam ex fon-*

te manarunt. Cum igitur dicantur manasse tanquam ex fonte, ex vulnere lateris Christi transverberati, sequitur, vulnus illud post mortem inflictum, fuisse meritorium, ac proinde Christum post mortem nobis meruisse salutem. Hoc autem capite antecedente I. diserte negaverat, quare etiam sententiam vulgarem, quæ accuratæ & certæ opponitur, nuncupavit. Quamquam verò Vasquezii sententia, Christum scilicet post mortem suam nihil nobis mereri, sed meritum ejus consistere in passione & morte, vera & justa sit, recteque opponatur Missæ Patronis, de quibus ibid. ait, *graviter lapsos esse recentiores aliquos Theologiae Professores, qui dicant, Christum nunc adhuc mereri, & in sacrificio missæ, & in collatione sacramentorum*; accipit tamen Jesuita hic vocem mortis nimis strictè, & contra Scripturæ S. mentem, utpote quæ *universum Exinanitionis Christi statum*, meritorium esse vult, eundemque in Vitam & mortem Christi dividit, omne illud per mortem intelligens, quicquid à vitâ distinguitur, & contra passionem & mortem facit, & quod optimè notandum est, usque dum status Exinanitionis desit, quod demum cum Vivificatione Christi factum esse, in propatulo est. Unde vulnus hoc laterale Christo non *post mortem*, sed *in morte*, hoc est, durante adhuc *statu Exinanitionis* illatum fuit, & eapropter isti meritum denegari non potest. Quicquid enim mortale, inglorium, infirmum, servile atque humile Christo etiam per mortem exinanito, in supremo Exinanitionis gradu contigit, illud, quemadmodum & ipsa animæ & corporis solutio, ad meritum mortis Christi pertinet. Quare cum & ipsum vulnus hoc sit, certum est, illud per injuriam à merito Salvatoris excludi. Vidit illud *Franciscus Collius, Ambrosiani Collegii Mediolanensis Doctor*, & ideò hanc Vasquezii sententiam Tractatu de sanguine Christi. Lib. V. Cap. 3. Disp. ultima f. 892. refutavit. Contrarii etiam sunt Vasquezio Patres illi omnes, qui Sacramentorum N. T. adumbrationem per sanguinem & aquam ex hoc vulnere fluentes, factam esse volunt, de quibus paulò post. Quin universa Christi Ecclesia constanter credit, omnia Christi vulnera fuisse meritoria, nullo excluso. Vasquezii igitur  
non

non erat, ut ex propria autoritate, quæ nulla erat, id exclusum iret. Neque juvat Vasquezium, distinctio, quam affert Tom. I. fol. 451 n. 42. inter sanguinem Christi meritorie effusum, & inter eundem, qui secundum se Christo hypostaticè unitus fuerit. Posterius enim hic prius non tollit, sed includit; & posterius id prius non solum præsupponit, sed & necessariò quoque complectitur. Quoniam nullus sanguis meritorius esse poterat, nisi qui Christo hypostaticè unitus erat. Sanguis enim Jesu Christi, Filii Dei, emundat nos ab omni peccato. Neque porro eundem juvat, quod absente Christi anima voluntas ejus non amplius ad effusionem sanguinis concurrere poterit. Rectè enim ad instantiam hanc cum B. Dorscheo l. I. Vindic. in Exod. p. 115. respondemus: Sufficit hic ΚΕΝΩΣΕΩΣ & ΤΑΠΕΝΩΣΕΩΣ voluntas, quæ postquam semel in Christo fuit, etiam secundum humanam naturam, quæ se ἐκένωσε ratione προφῆς Θεῶν, quicquid in hoc statu Christo præter naturam & violenter contigit, ad meritum passionis pertinet. Adè ad meriti perfectionem pertinet illud ultimum momentum, quò illud vivificum corpus paulo ante reunionem cum anima adhuc caruit vita naturali, quod ex communicata Majestatis præcellentia, secluso ad redemptionem nostram respectu, summa & hyperangelica gloria coruscare debuisset ac potuisset. Et absolute loquendo, falsum est, illud non posse Objectum esse Moralis alicujus virtutis, quod non sub voluntatem de præsentia circa illud Objectum præsentem afficiens occupatam cadit. Nam etiam ad Objectum Virtutis Moralis pertinet, quod nobis contingit, postquam vivere desimus, modò eventurum præsciamus, saltem generatim. Nam vir fortis etiam post occasum sui in corpore suo ferendas injurias fortiter & moraliter respicit, quia illas à truculento hoste etiam corpori suo inferendas prospicit. Sic & Martyres corporibus suis denunciata opprobria fortiter & moraliter respexerunt, quamvis non præsentia. Et expendat Vasquezium secum, annon ultima hominis voluntas, quam in Testamento post mortem suam expediendo ante mortem habuit, sufficiens sit, & juxta Pontificiorum mentem meritoria? Id nec negabit, neque negare poterit. Decebat præterea eundem non ad solam unionem naturalem in Christo, sed & præcipue

cipue ad *Personalem* animum intendere: quæ quoniam etiam in morte, & post priorem solutam, firma permanfit, dici certè non potest, quod humanæ naturæ voluntas tunc separata fuerit à passione & merito, cum imprimis Passio fit Personæ, à qua anima abesse nec potuit, neque voluit. Unde miramur *Sebastianum* quoque *Barradium* Tom. IV. Concord. Lib. VII. C. v. 22. f. 281. in eundem impegisse lapidem, non sine insigni Meriti Salvatoris injuria, cujus tamen isti focii genuini videri volunt.

XX. Unde jam etiam (6.) huc illa pertinet Quæstio: *An per sanguinem & aquam, ex eò vulnere promanantem, designata fuerint duo Novi Testamenti Sacramenta, Baptismus nimirum & S. Cæna?* Negarunt eam, *Vasquezius* & *Barradius* jam adducti, & præter hos alii. Sed rectè iis opponuntur Patres Græci & Latini. Unde rectissime *Bellarminus* Tom. III. Lib. II. de Effect. Sacram. Cap. XXVII. *Locus*, inquit, *ille Johannis* (c. XIX, 34.) *non malè ita exponi potest, ut significantur per sanguinem & aquam Eucharistia & Baptismus, uti exponunt NB. ferè Græci omnes.* Certè ex Patribus ita sentiunt *Augustinus* Tract. IX. XV. & LXX. in Johannem. Libro II. de Symbolo ad Catechumenos c. 6. Lib. XV. de C. D. c. 26. in Enarrat. in Psal. XLIV. *Ambrosius* Lib. V. de Sacram. cap. I. Idem in cap. XXIII. Lucæ. *Chrysostomus* Hom. LXXXV. in Johann. *Cyrillus* in Johann. Lib. XII. Cap. 39. Quin & sequentes Ecclesiæ Doctores hanc sententiam propagarunt. *Alcuinus* in Joh. Lib. VII. c. 47. *Zach. Chrysopolitanus* Lib. XVII. Concord. *Isidorus Hispalensis* in Gen. C. III. *Fulbertus Carnotensis* Epist. I. *Dionysius Caribus.* 4. Sent. Dist. 8. Quæst. I. p. 59. *Simon de Saxia* Lib. XIII. c. 125. Plura vide apud *Balthasarem Corderium* Jesuit. in annot. ad Caten. LXV. Patrum Græcorum super Lucam f. 609. ut & *Thomam Aquinatem* in Caten. ad h. l. nec non apud *Gerbardum T. I. LL. Theol.* p. 806. & in Harmon. Passion. ad Johannis locum XX. Sed ecce ipsi *Papista Vasquezio* & *Barradio* contrarii sunt. Ex quibus allegamus *Jansenium* in Concord. c. 143. f. 278. *M. Idonatum* in Cap. XXVII. Matth. *Salmeronem* Tom. X. Tract. 48. *Bellarminum* Tom. III. Lib. II. de Effectu Sacram cap. 27.

Cardi-

*Cardinalem Toletum* in Johann. XIX, 3. f. 214. *Johannem Ferum* in eundem f. 432. *Benedict. Hæfften*, Scholam Cord. L. 2. p. 217. Ex his *Jansenius* scribit: *Hoc duplici fluxu designata sunt duo præcipua Ecclesie Sacramenta.* Et *Maldonatus*: *Per sanguinem Eucharistia, qua alimur, per aquam Baptismus, quò nascimur, duo præcipua salutis nostre Sacramenta significantur.* *Alfonfus Salmero*: *Emisit sanguinem & aquam, in signum duorum Sacramentorum, Baptismi, in quo tingimur, & Eucharistia, in quo sanguine potamur.* *Bellarmini* verba Num. antec. allata sunt. Neque obstat (1.) *Quod Sanguis* à *Johanne* primò loco; *Aqua* autem secundò ponitur. Observavit enim *Evangelista* non ordinem Sacramentorum, sed miraculi augmentum. Miraculosum certè erat, Sanguinem ex corpore mortuo profluere, majus tamen miraculum erat, præter sanguinem etiam *Aquæ* fluxum accedere. Ita *Johannes* non solum *Miraculum* indicat, sed & auget. Respexit huc *Leo* in *Epistola*, quam *Concilium Chalcedonense* *re-ctæ fidei Columnam* appellavit, scribens: *Si Christianam suscipit fidem, & à predicatione Evangelii suum non avertit auditum, videat, quæ Natura transfixa clavis pependit in crucis ligno, & ex aperto per militis lanceam latere crucifixi intelligat, unde Sanguis & Aqua effluxerint, ut Ecclesia Dei & lavacro rigaretur & poculo.* Neque obstat (2.) quod *Sanguis* ex latere post mortem demum *Salvatoris* effusus sit. Intelligitur enim hoc loco per mortem non *Separatio animæ à corpore*, sed *gradus ultimus in statu Exinanitionis*. Quàm late igitur se extendit *Exinanitio*, tam latè etiam se extendit *Mors & meriti Christi amplitudo*. Effusus præterea *sanguis* ex latere *Christi* est non tam post mortem, quam in ipsa morte, sive infimo *Exinanitionis* gradu. Neq; tandem *Mors Christi* hac in parte *naturalis*, sed *salutaris & meritoria* intelligenda est. Meritum enim *Christi* *sanguinolentū* incipit cum *Exinanitione*, & definit cum *Eadem*, non quoad *Fructum*, sed quoad *Actum*. Quoniam ergo *Scriptura* *Vulnus laterale* à cæteris vulneribus salutiferis non excepit, nostrum quoque non est illud ab iisdem excludere aut separare.

XXI. Cum verò *Vulnera* in Sanctissimo *Salvatoris* Corpore

C 2

ideò

ideò sint facta, ut Sanguis exiis efflueret, meritò nos solliciti sumus, *Utrum ille Sanguis, qui ex Vulneribus Christi effluxit, adhuc in terra residuus sit, an à Christo iterum in Resurrectione assumtus cum corpore rediivo, ad quod ille pertinebat?* Agitanda hæc Quæstio propter Pontificios est. Mirum enim isti circa illam ambigunt. Qui (a) credunt vera esse, quæ de Reliquiis Sanguinis Christi in Ecclesiâ traduntur, eos oportet etiam credere, Christum reliquisse sanguinem effusum in hac terra. Unde facile admittunt ea, quæ *Tannerus* ex fide dignis historiis, ita eas vocare voluit, narrat, B. Virginem, & S. Johannem Evangelistam, sanguinem à Christi latere manantem religiose & magna cum reverentia Vasculò excepisse, & insigni cum veneratione conservasse. Credere eosdem porro oportet, vera esse, quæ *Bzovius* hac de re retulit, Tomò XIII, Ann. ad annum Christi M CCXVIII. Sect. 17. Qui & M CCXXX. Sect. 3. varia affert miracula, quæ Sanguis Christi in his terris residuus effecerit. Tom. XIX. ad Ann. Chr. M CCXLIX. Sect. 4. recitat, Particulam SS. Sanguinis Henrico Regi Angliæ à Palæstinâ donò missam esse. Ad Ann. Chr. M CCLVII. Sect. 18. addit, ab Edmundo Anglo inventam in Germania Particulam hujus sanguinis, maximo cum gaudio emtam, & in Angliam ingenti cum tripudio illatam esse. Varia etiam Franciscanorum Monasteria & Tempia passim reperiuntur, in quibus particula Sanctissimi hujus Sanguinis ut veræ & genuinæ, non absque pompa & veneratione demonstrantur. Lege de hac re *Histor. Seraphic. Gonzaga* Part. I. p. 171. 183. 271. 326. 338. Juxta hos igitur Sanguis effusus dubio procul adhuc in terris hæret. Atque idem credunt (b) omnes, qui docent, Crucem, & reliqua Passionis Instrumenta adoranda esse ideò, quia in his guttulæ Sanguinis Christi omni veneratione dignissimæ adhuc hæreant, adeoque in his terris remanserint, vel à Christo relictæ sint. Et docet quotidiana experientia, tales Crucis particulas, aliaque passionis organa à Monachis ostendi, in quibus sanguinearum guttarum reliquiæ existunt & cernuntur. Hi ergo negare non possunt, Sanguinem Christi ex Ejus Vulneribus effusum adhuc hodie in terris reliquum esse.

XXII.



XXII. Verum quid alii de hac sententia statuunt, juvat paucis attingere. *Francisc. Suarez*, magnæ auctoritatis in Ecclesia Pontificia Doctor, & Jesuitarum Coryphæus, eumque secutus *Adamus Tannerus* itidem Jesuita, scribit; Tom. IV. Theol. Schol. fol. 280. *Suarez etiam, quod totus sanguis in Passione effusus, esset quodammodo necessarius in corpore Christi resurgentis, & alias non esset sufficiens necessitas relinquendi partem ejus, eamque aliunde supplendi, in eam potius sententiam inclinat, NB. nullum ejusmodi sanguinem in terris superesse.* Eandem sententiam defendunt Cardinalis *Cajetanus* in 3. Tomæ, Qv. 54. Art. 2. & *Sylvester Prierias* in Ros. aureâ. Tr. 3. Qv. 31. Qvin & ante hos *Thomas Aquinas*, Qvodlib. V. Art 5. asseruit, *manifestum esse, quod Sanguis in Passione effusus, qui maximè fuerit salubris, divinitati fuerit unitus, & consequenter reassumptus.* Inprimis autem hic legendus est *Fevardentius* in Theomach. Lib. V. cap. 16. integro, in quo pro sanguinis Christi in resurrectione reassumptione magno cum studio disputavit. Dederunt quidem operam nonnulli, ut contradictionem hanc è medio tollerent, sed laterem lavarunt. Nam distinctio, quam finxerunt, & huic vulnere applicuerunt, nulla est. *Prierias* loco antea allato distingvit inter *Sanguinem nutrimentalẽ & non nutrimentalem*. Nutrimentalem negant τῶ λόγῳ hypostaticè unitum fuisse, posteriorem concedunt. Unde priorem in terris relictum volunt, posteriorem reassumptum. Sed, bone Vir, si iste, quem dicis nutrimentalem, ideo opponitur nonnutrimentali, quod hic salubris, ille minus sit, obsecro cur sanguinem minus salubrem, sed tantum nutrimentalem adoras? Hanc verò mentem tuam esse, ex eo patet, quoniam addis, *Thomam data opera dixisse, sanguinẽ salubrem divinitati fuisse unitũ, non autẽ sanguinem salubriter effusum, quia cum esset duplex sanguis, alter unitus, alter non unitus, etiam ille, qui non erat unitus fuit salubriter effusus, eò quod effusio illius fuit meritum magni valoris &c.* Habet ergo *Prierias* in Corpore Christi Sanguinem τῶ λόγῳ non unitum, quod in universa Christianorum Schola paradoxum maximum est. Habet Sanguinem nutrimentalem, qui salubris per se non est, quamvis ejus effusio salubris sit, Μέγα λίαν αἷτημα, quod ne



ipsi Pontificii concoquere potuerint. Unde *Tannerus* l. c. f. 278. dicit: *Nibil in proposito distinguendum est inter sanguinem alimentitium & non alimentitium: Ita consentaneè ex Antiquioribus Scholasticis docent, Valentia, Cabrera, Vasquez, Suarez, qui addit conerarium, quasi sanguis alimentitius (sive nutrimentalis, ceu Prierias eundem vocat) assumtus non sit, NB. nec pium, nec securum videri.* Probat quoque assertionem hanc *Tannerus* ex eo, *tum quia Concilia & Pontifices NB. absolutè & absque illa limitatione decernunt & asserunt, Sanguinem Christi unitum fuisse hypostaticè verbo Dei, tum quia, cum omnis Sanguis in humano corpore sit continuus, eademque ratione ad humanum corpus sese habeat, nulla ratio est, cur unus dicatur assumtus esse, & non alius.* Hæc *Tannerus. Vasquez* autem locò Num. XXIII. citandò, Num. 12. ita sentit. *Eam Cajetani sententiam, quatenus asserit, aliquem sanguinem non fuisse unitum hypostaticè, NB. omninò falsam & absurdam esse.* Ecce *Cadmaeos* fratres! Videant illi, quid respondere possint sequenti Syllogismo. *Aut solus Sanguis nutrimentalis effusus est in passione, aut solus non nutrimentalis, sed hypostaticè unitus, aut uterque simul.* Primum est contra *Thomam, Cajetanum & Sylvestrum Prieriatem*: Secundum neque ex Scriptura neque ex sana ratione probari potest. Tertium verò ideo absurdum est, quia quod uno continuo fluxu effusum, illud non uno quoque & simplici actu reassumtum esse, quod nemo rationis sanæ compos sibi persuadere poterit.

XXIII. Quid ergò tu, dicis, V. statuis de reliquiis Sanguinis Christi in hac terra? dantur ne tales? Ego vero tibi paucis respondeo (a) ex Schola Pontificiorum. Sunt in ea, qui affirmant, sunt etiam qui negant. In affirmantium ordine sequentes sunt: *Cardinalis Cajetanus* in *Qvæst. LIV. Part. 3. Thomæ, Artic. 2. Sylvester Prierias* in *Rosa aurea Tract. 3. Qv. 31. Barthol. Medina* in 3. Part. *Thomæ Qv. 54. Art. 2. f. 650. Gregorius de Valentia* Tom. IV. *Theol. Scholast. Qv. 5. p. 1. Vasquez* in 1. *Thom. Disp. 36. c. 8. num. 42.* Ex antiquioribus *Bonaventura* in IV. *Sent. dist. 12. dub. 2.* Ad di potest *Cabrera* in 3. *Qv. 5. Art. 2. dist. 2. n. 9.* Tracti quoque ad horum partes Pontifices ipsi sunt, *Pius II.* in *Bulla ad Abbatem*

tem

tem Monasterii S. Mariæ Xantonensis Dioeceseos, in cujus fine asserit, aliquam Sanguinis partem à Christo in terris relictam fuisse. Similiter de Leone III. Platina testatur, eum profectum fuisse Mantuam ad visendum Christi sanguinem, qui tunc ob assiduum miraculum in magna veneratione erat, eundemque ceu verum approbasse. Hi ex parte affirmantium sunt. Sed & eos videamus, qui negativam malunt. Illi sunt: Johannes à Turrecremata, Cardinalis, in Cap. Invitat. 2. dist. Asserit hic, nullam particulam Sanguinis Christi in terris post resurrectionem ipsius mansisse, verum etiam errorem esse contra fidem, oppositum asserere. Idem censuit Thomas Aquinas in 3. Part. Qv. LIV. Art. 2. ad 3. nec non in Qvodlibet Lib. 5. Art. 5. Dominicus à Soto, qui Sent. Disp. & Qv. art. 2. hanc Thomæ sententiam NB. planè certam, contrariam vero temerariam & erroneam vocavit. Sylvester Prierias loc. cit. fateri cogitur, antiquos Thomæ Discipulos affirmare, constantem hanc ipsius fuisse sententiam. Et Cajetanus in locum Thomæ allatum manifestè concedit, rationem Theologicam ducere in sententiam Thomæ. Atque hi, & qui cum his sentiunt, affirmantibus respondent, decipi eos. & confundere Sanguinem ex Imaginibus Christi profluentem cum vero Christi sanguine. Ita Thomas I. c. scribit, Sanguinem, qui adhuc sub nomine Christi in aliquibus Ecclesiis asservatur, non esse sanguinem, qui ex corpore ipsius Christi fluxerit, sed ex aliqua Imagine Christi percussa. Eadem habet Qvodlib. 5. art. 5. Et de hoc quoque sanguine locutus est larvatus Athanasius in Lib. de pass. Imag. D. N. J. Chr. Qvanquam enim Colonienses Dial. p. 59. & Lipomannus de Vitis Sanct. Part. I. n. 16. id pro genuino S. Athanasii Scripto agnoscant, contradicentes tamen habent Gretserum Lib. I. de Cruce c. 98. & Possevinum in App. qui antiquissimi cujusdam Autoris id, minime autem veri Athanasii esse, asserunt. Vid. Cocus in Censur. Libb. qui p. 98. seqq. Baronio Annal Tom. IX. ann. 767. n. 3. & 29. ut & in Martyrol. Novembr. 9. nec non Bellarmino de Scriptoribus Eccles. satisfecit. Paucis, loquitur is larvatus Athanasius de iis, quæ facta sunt Berythi in domo cujusdam Judæi, ubi post blasphemias multas lancea Imago Salvatoris percussa sanguinem emisit copiosissimum. Qvicquid verò sit de hoc sanguine, ad eum tamen, de quo nos agimus, non pertinet. Vide etiam

etiam *Alfonsum Ciaconium* in Leonis III. Vita, & *Franciscum Collium* Lib V. de Sangvine Christi p. 893.

XXIV. Hac occasione operæ pretium facere mihi videor, si brevibus adducam, quid ipsimet Pontificii de narrationibus sentiant, quæ de reliquiis Sangvinis Christi communiter circumferuntur. *Franciscus Collius* Librum de Sangvine Christi scripsit, qui approbatus est ab *Antonio Rufca* nomine totius Collegii Ambrosiani, ab *Aloysio Bariola* Augustiniano, Consultore Officii Inquisitionis pro Inquirentibus, ab *Aloysio Bossio* Can. ordin. Theol. pro Cardinali Archiepiscopo, à *Sacco* pro Senatu Mediolanensi, ex quibus patet, quantum libro huic credendum sit. Ita verò is Cap. 3. p. 866. *Facile adduci non possum, ut assentiar, tantam effusi sanguinis copiam, qualis ea esse convincitur ex iis, quæ ex historiis tradita sunt, in Christo, à mortuis resurgente potuisse desiderari, absque certo reviviscentis nature Christi detrimento, absolute corporis Christi perfectioni repugnante.* Adde- re poterat & debebat, non potuisse Christum tantam sanguinis copiam vivum habere, quantum nunc post mortem & resurrectionem ejus, homines in terra ostendunt, nisi plura corpora in Christo quis velit fingere. Pergit: *Propterea tantummodo NB. de allatis historiis tuto pronunciare possum, eam omnis sanguinis copiam baud potuisse ex sacratis Christi venis proficisci &c.* Et paulo post addit: *Recte igitur de his, qui primo intuitu omnem eum cruorem esse ex vero Salvatoris Sangvine nimis securè jactitant, cum Sapiente affirmari potest, qui citò credit, levis est corde: cum istud opinari neque recta ratio suadeat, neque congruens Christi reparatio patiatur. &c.* Hæc Collius: *Accedit, quod in ea copia dici non possit certè, quisnam verus, quis vero putatitius Christi sanguis sit? Alii volunt sanguinem Mantuanum, alii malunt eum, quem Brigitta Romæ concredidisse dicitur, rursus alii tuentur illum, qui in gleba terræ collectus, à Magdalena asservatus, apud S. Maximinum conservatur. Alii contra Wingartensem, alii Venetum, alii Taurinensem, alii Genuensem, alii Vesuntionensem, alii Trevirensensem laudant, alii in Columna, alii in lancea, alii in tunica inconsutili, alii in spinis, alii in crucis particulis, quales innumerae sunt, alii in clavis, alii in Vasculis, alii in lintheis, alii alibi eundem ostendunt, & pro vero venditant.* Dic quæso  
uter

uter horum genuinus, uter falsus? & eris mihi magnus Apollo. Quam diu autem id præstare non poteris, tam diu incertus est homo, & dubius, & quicquid ex dubia facit conscientia, id vitiosum est.

XXV. Respondendum autem nobis (b) est, non repugnare fidei & doctrinæ orthodoxæ & verè Catholicæ, si asseratur, Christum nihil sanguinis in terra reliquisse. Ipsi Pontificii Doctores in hac sunt sententia. *Adamus Tannerus* Tom. IV. Theol. Schol. Disp. I. de Incarnatione Qv. 4. dub. 3. n. 102. p. 280. hanc in rem laudat *Franciscum Mayronem*, Doctorem illuminatum, *Richardum de Media Villa*, nec non *Sixtum IV.* *Franciscus Collius* Tractatu citato V. c. 5. p. 867. affert, *Cardinalem S. Petri à Vinculis*, ut & *Jobannem de Polliaco*. Et tandem addit: *Ego firmissime credo, neminem fidei præcepto teneri, ad præstandam sive affirmanti, sive neganti potius questioni assensum. Etenim quamvis plane verum, omninoque exploratum esse putem, nonnullas veri cruoris Christi partes apud nos remansisse, nihilominus istud haud puto ratum fidei certitudine, sed NB. Theologicâ duntaxat, ita ut fas sit unicuique ac liberum sine alicujus erroris periculo, NB. quicquid placuerit hac de re NB. opinari, cum nulla Conciliorum, aut Summorum Pontificum statuta aliquid tanquam de fide tenendum esse decernant. Quare cum nulla alia Patrum, aut Conciliorum testimonia afferri possint, quæ duabus hisce contrariis questionibus, (quarum una statuit, Christum sanguinem in terris extra S. Coenam reliquisse, altera negat) suffragentur, quam citata, profectò cum hac neminem cogere possint ad complectendum ut Fidei Articulum id, ad quod comprobandum inducuntur, jam nemo non videt tutissimam esse assertionem nostram. Erat autem ejus assertio, non pugnare contra fidem Catholicam, credere, nihil sanguinis Christum in terris reliquisse.*

XXVI. Erat animus plura his addere, sed, ne prolixior essem, jussit Dissertationis Academicæ terminus. Reliqua igitur in aliam occasionem differo, DEOque nunc & pro Vulneribus Christi, & pro præstito mihi auxilio gratias ago.

*Soli Deo Gloria.*

D

VIRO AMPLISSIMO,  
JOHANNI GEORGIO OTTONI,  
Philosoph. & Medicinæ Doctori, Archiatro & Consiliario  
Leucopetræo, celeberrimi Augustæi ibid. Medicinæ &  
Physices Prof. Publ. nec non Provinciali Physico  
famigeratissimo,

S. P. D.

P R Æ S E S.

**M**isi ad me, Vir Celeberrime, filium Tuum, Re-  
spondentem hujus Dissertationis eruditissimum,  
eumque & fidei & informationi meæ credidisti.  
Perquam placuerunt literæ eleganter ad me per-  
scriptæ. Placuit etiam propositum ex omni parte appro-  
bandum. Placuit quoque filius, mihi præcipuè ob pieta-  
tem & modestiam commendatus. Et vixit is apud nos huc-  
usque *integer vitæ, scelerisque purus*. Quam verò in studiis  
literarum apud nos adhibuerit industriam, docebit non  
hæc solum, *de Vulneribus Christi*; sed & altera de *Ordine  
Elephantino* Dissertatio, quam utramque non absque bono-  
rum & intelligentium approbatione ex Cathedris nostris A-  
cademicis masculè defendit. Hæc pietas & industria cum  
inprimis Deo placeat, omnibusque rectè sentientibus ex  
asse approbetur, sperat Tibi quoque non displicituram. Et  
colligere exinde poteris, sumtus tam pio & erudito filio ex-  
hibitos, non perdi, sed optimè locari. Neque dubium erit  
illum, fore, ut ex hoc ungue Leonem agnituri Patroni opti-  
mi, atque ita Filium hunc Tuum propediem ad stationem  
aliquam idoneam promoturi sint. Id quod eò certius spe-  
randum est, cum Tu Principem habeas Tibi Tuisque indul-  
gentissimum, quique Ministrorum Suorum liberos clemen-  
tissimè habere soleat! Servet Te Deus, faxitque, ut & in hoc  
filio, & in reliquâ Tuâ sobole nobilissimâ, cum Uxore Sva-  
vissima, gaudia capias infinita. Vale! Properabam Witten-  
bergæ XXXI. Mart. A. E. C. M. DC, XCVII.

05 A 502

ULB Halle 3  
004 208 277




1017









De  
**VULNERIBUS  
CHRISTI**

SINGULARIA QUÆDAM,

SUB PRÆSIDIO

*VIRI Magnifici ac Summè Reverendi,*

**DN. CASP. LOESCHERI,**

SS. Theol. Doctoris, Prof. Publ. Consist.

Elect. Assess. Sen. Ecclesiæ Wittebergenſis Pastor, & totius  
Circuli Electoralis Saxonici Superint. General. ut &  
Facult. Theol. Decani,

*Dn. Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui  
fidei cultu prosequendi,*

d. April. A. M. DC. XCVII.

*Ex*

*Cathedrâ B. Lutheri*

ediffer:

**M. JOH. ERNESTUS OTTO,**

Numburg. Misnicus.

---

WITTEBERGÆ,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typ.